SERTVM POETICVM,

IN HONOREM IACOBI SEXTI SERENISSIMI, AC POTENTISSIMI SCOTORVM REGIS,

A GVALTERO QVINNO DVBLINIENSI *contextum.*



EDINBVRGI,
EXCVDEBAT ROBERTVS WALDEgraue *Typographus Regius* 1600.
Cum Priuilegio Regio.

Phot of HEH 69099


IN MY DEFENC
GOD ME DEFEND

AD SERENISS. REGEM

EPIGRAMMA.

Quid tibi plus vni, quàm cunctis, optime Regum,
Debeo, post Superos, quos bonitate refers,
Grati animi saltem specimen dare gestio; nulla
Sors mihi det referam cum tibi parte vicem.
Sed specimen tale est, dant quale, ob dona rependunt
Aurea qui summo florea serta Ioui.
Sertum est hoc etiam, variis e floribus arte
Texuit inculta quod mea Musa tibi.
Clara tuæ gentis videas hic symbola, flores
Ante alios, albam, purpureamque rosam.
Læta tibique, tuisque notes hic omina; laudes
Iure tuas; Superos et tibi propitios.
Ergo tui decoris monumentum hoc accipe sertum,
Grati animi certum pignus idemque mei.

MAIESTATI TVÆ

Æternûm deuinctus ac deuotus,

GVALTERVS QVINNVS.

PRÆFATIO.

Virorum aliquot ingenij, ac literarum amæniorum laude præstantiũ exemplo Anagrammata quædam, et carmina eadem explicantia, serto huic intexta, in lucem editurus pauca mihi præmittenda censui, quibus nonnulla in ijs minus forte perspicua illustrentur. Inprimis verò, quod attinet ad ipsa nomina, quæ Anagrammatismis, et versibus occasionem, argumentumque præbuerunt, animaduertendum est non ea me sola Sereniß. Regis, ac Principis eius filij, quæ vulgò vsurpantur, nomina delegisse (hæc autem sunt Iacobus, et Henricus) sed ijs etiam alia duo, cum gentilitio nomine Stuarto

arto addidisse, nomina nimirum Caroli, et Friderici; quorum illud sereniss. Rex a Carolo nono Galliarum Rege, hoc Illustrissimus Princeps a Friderico Rege Daniæ in sacro lustrico accepit. Quæ vt adiungerem maximè visum est rationi consentaneum. Si quid enim ominis e nominibus capiendum, id potius ex primò impositis, ac gentilitijs (eorum, qui in hoc genere optimè versati sunt, exemplo) quàm (quod a nonnullis fieri video) e nominibus tantum vulgò vsurpatis, honorumque titulis adiunctis eliciendum judico. In nominibus autem ipsis nullam mihi permisi licentiam literam aliquam vel addendi, vel detrahendi, vel etiã immutandi: nisi quod alicubi pro Stuarto, Steuartum (vt non rarò scribi solet) ad Anagrammata quædam commodius excogitanda, scripserim; vti etiam eadem de causa Fredericum pro Friderico; quo vtroque modo nomen hoc apud probatos

authores ſcriptum deprehendi.

Primum Anagramma occaſionẽ præbet carmina quædam pangendi de ROSARVM inſignibus, ac de jure, quo Rex noſter Sereniſs. eadem ſibi vendicat. Quæ vt facilius intelligantur, ſciendum eſt duas in Anglia fuiſſe familias e Regia ſtirpe Eduardi tertij oriundas, Eboracenſem nimirum, et Lancaſtriam; quæ de Regni iure infeſtis animis, ac armis decertantes diuerſis inſignibus diſſidium hoc ſuum teſtatum eſſe voverunt, Eboracenſi Roſam albam, Lancaſtria verò rubram vſurpante.

Nec priusortis hinc diuturnis bellis, et cladibus, vtriq; familiæ, ac toti Regno funeſtis, finis, aut modus eſt impoſitus, quã Henricus ſeptimus, Lancaſtriæ familiæ Princeps, Eliſabetã, Eduardi quarti filiam natu maximam, Domus Eboracenſis hæredem, feliciſſimis auſpicijs coniugem ſibi adſciuit. Qua ratione factum eſt, vt vtraque familia in

vnam

vnam coaluerit. Ex his verò nuptijs ortum habuerunt Henricus octauus, pater Sereniſſ. Reginæ Eliſabetæ iam regnantis, et duæ filiæ. Quarum natu maior Margarita Iacobo quarto Scotorum Regi, eoq; vita functo, Archibaldo Douglaſio Auguſiæ Comiti nupſit. Huius autem Margaritæ ex vtroq; coniugio Hæres eſt Rex hic noſter Sereniſſ. ac proinde proximè poſt Reginam Eliſabetam (in qua deficit Henrici octaui proles) vtriuſque Roſæ inſignia, et quicquid in vtriuſq; familiæ Hæredē Hæreditario iure cadere poteſt meritò ſibi vēdicat.

Secundi Anagrammatis, et verſuum illud explicantium ſenſus ex Regiorum Scotiæ inſignium inſcriptione Anglica; In defenſe (cuius hæc altera (Nemo me impune lacesſet) numiſmati Scotico impreſſa interpres eſſe poteſt) atq; ex veteri illuſtriū virorum inſignia et ſymbola in ſcutis exprimendi more facile eluceſcet. Hunc ego morem intu-

ens, dum inter alia ſcuti Regij inſignia Anglica etiam recenſeo, Leones voco, quos plæriq; Leopardos, ſcriptorum aliquot inſignium authoritatem ſecutus.

In Anagrammate tam Anglicò, quàm Gallico nominis Sereniß. Regis occurrit nomen Arthuri, quem Britanniæ Regem fuiſſe celeberrimum Hiſtoriæ, ac monumenta vetera teſtantur.

Atq; hæc quidem ea ſunt, quæ inſequentibus minus fore perſpicua iudicaui. Eò autem lubentius eadem explico, vt lector intelligat quæ de Roſis, et Arthuri nomine in Anagrammatiſmis occurrunt Sereniß. Regi vel maximè congruere. Quamobrem ſi, oblata mihi tam opportuna occaſione, quæ ad illũ iure ſpectant ominatus, ac precatus illi ſuero, neminem non prorſus iniuſtum, et iniquum iniquo id animo laturum mihi planè perſuadeo.

A

ANAGRAMATA,

IN NOMEN SERENISSIMI REGIS.

1. ANAGRA. CAROLVS IACOBVS STVARTVS

CVLTV, AVRA BIS ROSA SCOTVS

I. ODORE.

EPIGRAMMA.

BIS Rosa Cvltv, Avra Scotvs, mireris vt ipsum
Multimodi decoris nomen haberenotas.
BIS Rosa, cum præstet Cvltv virtutis, et Avra,
Quæ quauis Avra gratior inde fluit.
BIS Rosa, candenti tam quæ decorata nitore est,
Quàm quæ purpureo grata colore rubet.
BIS Rosa, progenuit Rosa quam Lancastria nexu
Sacro Eboracensi conciliata Rosæ.
BIS Rosa, vt Angligenam, Angligenûm bis origine dicas
Et decus, Anglorum est nam Rosa primus honos.
Cum Rosa sit totics et Cvltv, et amabilis Avra,
Sitque priór reliquis stirpe, et honore Rosis;
Non illi tribues in amæna Rosaria iure
Ius summum, decoris præcipuumq; locum?

2. ANAGRA. { CAROLVS IACOBVS STVARTVS
CLARVS SCVTO ABAVIS ORTVS

EPIGRA

CLARVS SCVTO ABAVIS ORTVS vero omine dici
Nonne, vt transposito nomine, iure potes?
Profiteare tui cum Scuti in fronte tibi esse
Pectus, et arma, quibus ius tueare tuum:
Natus et ipse atauis cum Rex tot Regibus alti
Sanguinis in scuto symbola clara geras.
Hinc tibi Maiorum centum, septemque gerenti
Sceptra Caledoniæ fit Leo grande decus:
Cui cumulum ingentem superaddunt inde Leones,
Angli quos Abaui Regni habuere notas:
Cumq; Rosis horum candentia lilia Regni
Francorum, generis symbola prisca tui.
Nec citharas, scuto quas addit Hybernia, trinas
Indecores decori quis putet esse tuo:
Hæ regni antiqui cum sint insignia, Regum
Vnde Caledoniæ fluxit origo vetus.
His Abauis auctvs, clarisq; insignibus, Heros
Inclyte, grateris tu tibi iure, licet.
Hoc tibi sed gratere magis, virtutibus addas
Maiorum decori quòd decus ipse tuis

3. ANAGRA. CAROLVS IACOBVS STVARTVS.

ORTA SALVS VBI TV CORVSCAS.

EPIGRA.

CEV gemini fratres, atroce minante procella
Naufragium, nautis sidera grata micant:
Sic quoq; tu populis, quos iactauere tumultus,
Affulgens affers, numinis instar, opem.
Arguit hoc diuturna quies, regnante fruuntur
Qua te Scotigenæ post fera bella tui.
Euenturum alijs populis hoc auguror ipsum,
Qui iam naufragij cæca pericla timent.
Augurer id faciunt data iam documenta, elementis
Quodq; tui felix nominis omen inest.
Nempe his ORTA SALVS VBI TV, Rex clare, CORVSCAS
Dicitur: o tua sit lux diuturna precor.

ANAGRA. CAROLVS IACOBVS STVARTVS

VICTOR SALVVS, CARVS STABO

EPIGRA.

TV VICTOR SALVVS, CARVS, Rex Inclyte, STABIS:
Nempe hoc a Superis nominis omen habes.
VICTOR ouans virtute tuos peſſundabis hoſtes,
Inde relaturus Sceptra, perenne decus.
SALVVS, et incolumis quæuis diſcrimina vinces,
Exortus varijs gentibus ipſe ſalus.
CARVS eris ſuperis, CARVS mortalibus: ipſa
Flectentur meritis ferrea corda tuis.
STABIS et vt defixa ſolo radicibus altis,
Ac cælo attollens florida palma comam.

IN ENGLISH

5. ANAGRA. CHARLES IAMES STVART

CL AIMES ARTHVRS SEAT

A SONNET.

A peerles pearle, and prince CLAIMES ARTHVRS SEAT
Borne to the same by Heauens most high decree,
Thereon to sit and rule, as Monarke great,
In whome all righteous claimes united bee.
The highest branche of Albions royall tree
He is, and first of Roses whit, and redde;
Whose happie vnion made all England free
From bale and mischiefe, which their discorde bredde.
To winne his right his courage void of dredde
With GOD and mans assistance he shall bend;
And vnder foote as Conquerour shall tredde
The pride of such as shall with him contend.
So to King ARTHVRS SEAT *attain he shall*
Whereto by name and claime the Heauens him call.

EN FRANCOIS,

ANAGRA { CHARLES IAQVES STVART
QVI EST LA? ARTHVS SACRÉ:

SONET.

QVI Est La? Arthvs Sacré, *Roy de la grand Bretaigne,*
Surmontant l'autre Arthvs *en vertu & bon-heur;*
A qui par don du ciel eſt appreſte l'honeur
De commander par tout de Noruegue en Eſpaigne.
Le peſcheur Orcadois, et de la grand campaigne
L'Iſle au mydy bornant le riche moiſſoneur,
Et le Patre Irlandois de gayetè de cœur
Homage luy feront; ſi grand heur L'accompaigne.
Par luy ſeul de ces trois S'eſteindra le diſcord,
Source de leurs mal-heurs, et vn heureux accord
Ferà fleurir ſoubz luy leur campaignes, & villes.
Adonc d'eux a bon droit doibt eſtre diſirè
Le Regne bien-heureux de ceſt Arthvs Sacré,
Par droit, & par deſtin grand Monarque des Iſles.

NELLA LINGVA TOSCANA.

ANAGRA. CARLO GIACOMO STVARTE.

AMA L'ACCORTO, GIVSTO RE.

SONETTO

L'ACCORTO, GIVSTO RE AMA, *o nobil Regno,*
Ch'il ciel ti da per tuo ben & honore,
Re tuo per dritto, & per merto & valore
Piu di qualunqu altro d'esserlo degno.
Amalo, ch'ei ti fia appoggio & sostegno
Ne rischi, & rimedio ad ogni dolore:
Ei ti fia qual' Nochier, chi senz' errore
Conduce in porto il trauagliato legno.
La prudenza sua ti fia buon temone
Per reggerti, & per indrizzarti al porto
Sua giustitia per calamita haurai.
Però se brami saluo & senza guai
Giugner in buon porto, egl'è ben ragione
Ch' ami questo tuo RE GIVSTO, & ACCORTO

ANAGRAMMATA.
IN NOMEN ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS.

2. ANAGRA. HENRICVS FRIDERICVS STEVARTVS

ARTHVRI IN SEDE FVTVRVS CRESCIS

EPIGRA.

IN numeris proauis, quos ampla Britannia Reges,
Gallia quosq; habuit, nobilis orte puer;
Regum et quos coluit, cum Teutone, Cimber, Hibernus
Quos memoratq; suos, inclyta progenies,
Cælitvum munus, magnorum dulce parentum
Pignus, Regnorum spesq; decusque trium,
Orbis flos, et honos, ARTHVRI IN SEDE FVTVRVS
CRESCIS, id à superis nominis omen habes.
CRESCIS, vt occulto quam crescere cernimus æuo
Præcipuum nemoris planta futura decus.
Qui jam Principibus prœfulget laude coæuis,
Creuit in immensum sic pater ante tuus.
Ille tibi ARTHVRI sceptrum, cum sede, parabit;
Ille tibi morum, Regni erit ille typus.
Ocia longæuus populis cum fecerit ille,
Auxerit et Superûm clarus honore choros:
ARTHVRI solium scandes tu nomine nonus,
Invictaque geres sceptra paterna manu:
Et patrem referes meritis, virtutibus, æuo:
Augurium cuentu sit precor vsque ratum.

ANAGR. { HENRICVS FREDERICVS STVARTVS
SVIS CHARVS FIDENTER RECTVRVS.

EPIGRA.

SEruandi incolumes sese, populosq; regendi
Ad libitum Reges anxia cura tenet.
Hinc numerosus eos ambit, stipatq; Satelles:
Immensæ hinc illis accumulantur opes:
Vrbibus hinc arces; hinc agris castra miuantur:
Fisci hinc, lictorum, carnificisq; metus.
Sed non præsidijs his, vel terroribus æquè
Rex est ac populi tutus amore sui.
Ergo Britannorum Imperij sibi Regius Hæres
Gratetur meritò, spem foueatq; bonam;
Elogium cuius virtutis tale, futuri
Ac Regni anspicium nominis omen habet.
Namq; SVIS CHARVS FIDENTER dicitur ille
RECTVRVS, fausto nominis augurio.

ANAGR. HENRIE FREDERIC STEVART.

FIERCE, HARDI, ERNEST, TRVE.

A SONET.

FIERCE, HARDI, ERNEST, TRVE, thou named art,
O Prince extract from Kings of high degree;
Whose Lion as the Heauenes to the impart;
So they a Lions heart impart to thee:
That thou thereby maist FIERCE *end* HARDI *bee*
The pride and furie of thy foes to tame;
And keepe thine owne from all annoyance free:
Wherein, and in all actions worthy fame
Thou shalt be ERNEST, *as foreshweth thy name.*
TRVE *shalt thou bee, as doth the same declare.*
In actions truth shall keepe the free from blame:
Truth of thy words, and thoughts shall be the square.
Thus being found, FIERCE, HARDI, ERNEST, TRVE,
Thou shalt winne Glorie to thy merites due.

S. ANAGRA. HENRI FREDERIC STVART.

FRVICT HERITÈ RENDRAS.

EPIGRA.

FRVICT' HERITÈ RENDRAS, *Prince ſorti d'un pere,*
Et de l'eſtoc Roial de tant des grands ayeulx.
De la vertu deſquels les eſleuant auxcieulx,
Comme de leurs eſtat, ſeras propietaire.
Mais de tous ceux, deſquelz le fruict tant ſalutaire
Tu viens a heriter, rapporteras le mieux
Ton Pere, & le ſeptieme HENRI *victorieux,*
Qui t'a laiſſè ſon nom, & Sceptre hereditaire.
Ainſi qu'eux, tu rendras le doux FRVICT HERITÈ
De Iuſtice, et bontè, de paix. auec plantè
De tous biens auz nations de ceſte grand Bretaigne.
Comme un ſourgeon fruictier, qui en hauts' eſtendant
De ſon eſtoc natif force fruict va rendant,
Pour nourrir ceux, deſquelz il orne la campaigne.

1 ANAGRA. ELISABETA STVARTA.
SALVTARIS, ET BEATA.

EPIGRA.

NYmpha Caledoniæ natarum maxima Regis
Optatum et felix nominis omen habet.
Namq; SALVTARIS ferturq; BEATA futura
Nomine, cum Diuis laudem habitura parem.

2 ANAGRA. ELISABETH STEWART.
A BLIST SWEET HEART.

A SONNET.

A BLIST SVVEET HEART, *O Nymphe of noble kind,*
Thou art, as sheweth thy name by presage cleere;
A blessing by the heauens to earth assigned,
As heart to bee accounted sweet, and deere.
A BLIST SVVEET HEART *thy Nource, and such as neere*
Were to thy Craddle gan the first to greet:
Thy Royall Parents oft with smiling cheere
Haue named the their HEART *both* BLIST, *and* SVVEET.
This vse they also for a greeting meet
Who now thy beautie though in blossom see:
But when the same by growth shall be compleet,
And shall with vertues rare adorned bee;
Then all, but one, a King, thine aboue all,
A BLIST SVVEET HEART *shall the account and call.*

mo.

DE ILL. PRINCIPE

PRIMVM EX ARCE STERLINENSI IN
PVBLICVM PRODEVNTE.

EPIGRA

QVA primùm egreditur tectis Regalibus hora
Spectandus Princeps, arua et aprica petit,
Venantem Auguſtum patrem comitatur, alumnum
Qui cupit aguoſcat Cynthia caſta ſuum.
Venator felix, tanto auſpice, prodit: eunti
Tres quoque ductores omina fauſta ferunt.
Caſu hinc Angligenæ, et ſimul accurrentis Hiberni,
Ducitur inde equitans Scotigenæq; mauu.
Auſpice nempe velut patre, et ducentibus iſtis,
Primùm exit, captas ſpectat ouanſque feras:
Sic tria ſceptra, quibus trinis hi gentibus orti
Ductores ſubſunt, Auſpice patre, geret.

*In.19.Iunij.*SERENIS.REGIS. *19.Februarij.* ILLVSTRIS.PRINCIPIS.*eius filij.19. Augusti filiæ eiusdem natu maioris, ac.19.Nouembris filij natu minoris diem natalem, vltimum hunc etiam* REGIS *Seremiss. ac Seremiss.* REGINÆ *congressu primo notabilem.*

NAtalis numero tibi par,natisq; duobus,
Et natæ,o Heros, lux data mensis erat.
Quæq; tuo nato lux candida mense Novembri
Posteriùs genito lucis origo fvit,
Aspectu,alloquio, gratisq; amplexibus ante
Coniugis vt primùm tu frverere dedit.
Illa nouemdecies,cum luna secuta Calendas
Viseret Antipodas,fulsit amæna dies.
Haud reor augurio numerus caret ille secundo:
Est nec enim Samij vana sophia senis.
Hic iungit numerus Decadi nonum:illius ingens
In paribus laus est,huius in imparibus.
Namq; Monas Decadis velut est coeuntis origo;
Sic numeris auctis est et origo Decas.
Qui deni a totidem genijs volunntur in axe
Orbesvim Decadis,grande decusq; notant.
Nonus in imparibvs numeris plenissimus exit:
Vtq; trias felix,sic quoq; trina Trias.
Hunc ornant numerum genij super astra beati;
Quorum ait esse nouem fama vetusta choros.
Commendant pariter Musæ;quibus addito Phæbum:
Ac decimus nono fiet honoris apex.
Siuè paris spectes igitur, siùe imparis omen;
Seu magis hic numerus iunctus vterq; placet:
En Superi,Rex magne, tibi,proliq; vicissim
Hoc nvmero spondent maxima quæq; tuæ.
Pignus et esse sui voluere fauoris,eodem
Quod toties numero teq;,tuosq;notent.

DE TVMVLTIBVS ALIQVOT REGIS SERENISS. VIRTVTE, ELOQVENTIA, ET PRVDENTIA SEDATIS.

EPIGRA

MAnibus ore canem infestum, rictuq; trifauci
Tres tribus Heroes perdomuere modis.
Robore prostratum domuit Tirinthius Heros,
Inuitum subigens vincula dura pati.
Sic demulsit eum dulcedinè carminis Orpheus,
Stratus vt illius sterteret ante pedes.
Illum Anchisiadi subiecit prouida cura,
Offas in rabidam conijciendo gulam.
Macte Heros animi, tribus his heroibus vnum
Te triplici hac præstas tu quoq; laude parem;
Magnanimum pectus, facundum os, prouida cui mens
Æmula dat stygij monstra domare canis.

CARMEN GRATVLATORIVM
CORAM SERENISS. REGE IN GYMNASIO S.
SALVATORIS ANDRÆAPOLI RECITATVM.

QValis Apollo, diu populo responsa petenti
Diuina ex adytis fundentem oracula sacris
Regia quem Pataræa, Claroſue, aut Delphica tellus
Detinuit, tandem curarum tædia longa
Lenire exoptans ſeceſſus quærit amænos
Parnaſſi, Aonias vltro inviſitque ſorores;
Illæ adventantem lætum Pæana canentes
Excipiunt, meritoque Deum venerantur honore:
Talis ades nobis, ſibi quos dignatur alumnos
Annumerare chorus, tu, præſtantiſſime Regum,
Præ cunctis alijs Pheboq; adamate choroque;
Ipſe etiam redamans Phæbumq;, chorumq; vicisſim,
Poſt data Iura tuis, et Pacis commoda parta,
Qua populos inter longè, latèq; iacentes,
Quos fera bella premunt Regum ambitione neſanda,
Munere ſola tuo fruitur gens Scotica felix:
O felix nimium, ſua ſi bona norit, et vnde
Proueniant recolat memor illa Deiq;, tuiq;.
Cum reliquas Regni te non piguiſſet obire
Peruigili cura partes, et noſtra vicisſim
Eſt tibi viſa tuæ ſchola pars haud infima curæ,
Hic te nempe iunat plantaria creſcere pulchra;

Quæ foueat Phæbi calor, irriget vnda perennis
Caſtalidum fontis; quæq; erigat aura fauoris
Dia tui, fructus vt laude ferentia dignos
Virtutum reliquo ſint firma columina Regno,
Fulcra tuis rebus, laudum ornamenta tuarum.
Et fauor iſte tuus (nihill ambigo) ſubmouet acres
Pectoribus ſtimulos iuuenilibus: ardor at ingens
His iuga virtutum ſcandendi celſa tuarum
Creſcat ab exemplo virtutum: namq; Monarcha
Cum prius imperio fueris cogente ſolutus,
Quàm cunis (fieri qua libertate iuuentus
Pronior in vitium ſolet, et malè ſana teneri
Sirenum illecebris) ſtudium virtutis, et artes
Es tamen ingenuas amplexus ſponte: nec illas
(Grex vt rudit iners) indignas eſſe putaſti
Principis ingenio; ſed non ceſſante labore
Arreptas auidè didiciſti: nec tibi primis
Caſtalidum fontem ſat viſum attingere labris,
Pectoris inde ſitim ni ſæpe bibendo leuaſſes.
Vnde fit vt dulci tibi iam videamus ab ore
Nectar, et Ambroſiàm placidè manare, receſſu
Seu tibi fons Pegaſi ſaliat ſub pectoris imo.
Quid, quod et aſtricti numeris te vena benigna
Ingenij ſummis exæquat laude poetis;
Culta perorantis nec non facundia linguæ
Æquiparat, quibus applaudens dat concio palmam?
Seu iuuat aut populi fando ſedare tumultus,
Seu quid Relligio, quid rectum poſcat, et vſus,
Aut Myſtas dubios, dubiumue docere Senatum.
Eloquij vis magna tui: ſed maior habenda
Vis ſophiæ præſtans, animiq; ſagacis acumen;

Luminis et radijs mens illuſtrata ſuperni,
Suſpiciens cælum, rectum illuc iterq; capeſſens.
Vt Cynoſura, tibi lux hæc diuina refulget;
Quæ te per ſcopulos, ſyrtes, æſtuſq; tuetur
Incolumem, nec te Sirenum cantibus vllis,
Circæiſue dolis captum, Scyllæue furentis
Latratu infeſto diſcrimina ſæua minanti
Attonitum e recto patitur deflectere curſu.
Tu [illegible] os tecum deducere poſſis
In [illegible] rum, regnandi cælitus artes
Sui[illegible] e, virtutum et copia, dotes
Quæ tanto ſuperant reliquorum pondere; quanto
Tu tibi ſubiectis fortunæ culmine præſtas.
Has ego ſi decorare putem me poſſe canendo,
Illi ſim ſimilis qui lychno adiungere poſſe
Splendorem Phæbi radijs ſe ſomniet amens.
Hæc cano pauco tamen non hac ſpe luſus inani,
Sed quia iuſſerunt te compellare Camænæ
Dignatum ſubijſſe ſuum, Rex optime, fanum,
Teq; inſigne ſuis monſtrare exemplar alumnis,
Ad iuga Parnaſi quem contendendo ſequantur,
A quo nec dubitent Muſarum dotibus aucti
Præmia ſe meritis, et digna labore laturos.
Mactianimis, o vos, diuini Heliconis alumni,
Ad decus accendat vos, et virtutis amorem
Principis exemplum, quo ſecula nulla tulerunt
Conſpicuumue magis, magis aut imitamine dignum.
Vos fauor illius, vos præmia certa laborum,
Vtilibus patriæ quæ Marte, vel arte futuris
Apparat ad tantum decus excitet, ipſe benigne
Principis aſpectus, grata et præſentia reddat

Vos

Vos alacres meritò ſubeunda ad culmina Pindi,
Doctæ vbi dent vobis cytharas, et plectra ſorores,
Regis vt eximij decus immortale canatis.
Sed tibi quas grates referemus, amabilis Heros,
Pro meritis in noſq; tuis, doctaſq; Camænas?
Haud equidem reor ingratas tibi poſſe referri
Carminibus grates: nobis ſed carmina deſunt
Digna tuis meritis, digna auribus: Auſpice Phæbo,
O vtinam nobis te pangere digna liceret,
Teq; tua Phæbo digna celebrare Camæna.
Improbus at ſundo cur irrita vota precari
Quæ tibi, quæ populis fauſta et felicia multis
Anguror euentura iubet pietaſq;, fideſq;;
Nempe tuo generi quæ Regia ſceptra, tuiſq;
Debentur meritis, ea mox tibi Cælitus aucto
Adveniant, altoq; animo ſors vndiq; quadrans:
Vt virtute tua quæcunq; Britannica Regna
Aut mala diuexant, terrentue alivnde pericla
Propulſata tuos mox auertantur in hoſtes:
Auſpice te populis vt oborta luce ſalutis,
Alma hos longæuus placidaq; in pace gubernes:
Serus vt ad ſuperos euectus, et aurea nato
Sceptra tuo tradens, linguis, plectriſq; canoris
Vox vbicunq; ſonet, vel Muſa, canaris in æuum.

AD DEVM OPT. MAX.

OB SERENISS. REGEM E VARIIS PERICVLIS, præsertim verò ex insidijs Perthi nuper vitæ illius structis feliciter ereptum.

Hymnvs.

Cælitum Rector, Deus alme, lætis
Qui supernarum celebratus hymnis
Mentium Cæli resides suprema
Clarus in arce;
Tu regas solus licet, et gubernes
Orbium motus rapidos, meatns
Siderum, pulchri nitet inque celso
Quicquid Olympo:
Infimi mumdi tamen et caduci
Res tuo nutu moderaris omnes;
Nec, quòd excelsus dominere summis,
Negligis ima.
Inter hæc curas hominum salutem:
In quibus Regum tibi summa cura est,
Qui tuum nomen, referuntq; numen
Munere celso.

Omnis

Omnis hòc æui monumenta, noſtri et
Fam receas ſecli documenta firmant.
Hoc ratum tu præ reliquis in vno
Principe reddis;
Nempe IACOBO, modò qui Britannos,
Quà Polum ſpectant, règit, et, fauente
Te, ſitis eſt mox reliquis ad Auſtrum
Iura daturus.
Matris huic vindex fueras in aluo
Tupius, quando in grauidam minaci
Voce, vultu, armis, manibus ruebat
Turba ſceleſta.
Mox et in cunis poſito fuiſti
Præſtita clemens ope ſoſpitator,
Ctm tetendiſſet laqueos Parentum
Proditor illi.
A dolis, et vi puerum tegebas
Vſq;, nec per tot fera bella, turbas
Et graues prædam fieri ſinebas
Inſidianti.

Plurimis æuo reliquo periclis
Dextra eum texit tua, perduelles
Inque eum sæua rabie ruentes
Sæpe repressit.
Nuper at quàm te, Deus, o benignum
Vindicem sensit, neq; vim timentem,
Nec dolos cum vi peterit dolosa
Proditor atrox?
Tum tua summa bonitate fretus
Viribus nixum, magicisque technis,
Vicit, et victor merito cadentem
Vulnere vidit.
Hunc tibi acceptum referens triumphum
Tum tibi verbis, animoque grates
Reddidit tanti memor is futurus
Vsque fauoris.
Nos at illius famulos, et omnes,
Quos regit miti imperio, Britannos
Debitas par est tibi gratulantes
Dicere laudes.

nam

Nam ſalus, et pax peritura nobis,
Si (quod auertas Deus alme) fraudi
Præda Rex eſſet, manet vſq; firma,
Soſpite Rege.
Soſpitem ſemper bonus ergo ſerues,
Quem tibi charum documenta monſtrant
Eſſe, quæ quondam toties, recenter
Quæque dediſti.
Neu ſinas vnquam vel aperta vis hunc
Opprimat, vel fraus laqueis doloſis:
Hoſtium ſed te, Deus, uſque perſtet
Vindice, victor.

EPIGRAMMATA

DE MVLTIS NOTATV DIGNIS, QVÆ IN SERENISS. REGIS PERICVLO, ET LIBERATIONE CONTIGERVNT.

I EPIGRA

DVm venare feras, ferus, en, venator, et atrox
Occulta laqueos, Rex, tibi fraude ſtruit:
In quibus incautum te (proh ſcelus) implicat; et iam
Illius, ecce, parant te laniare canes:
Eripieris cum tu præſenti Numine Diuûm;
Atq; perit captus caſsibus ille ſuis.

2

Aurum pollicitus tibi perfidus inſidiator
Intentat iugulo ferrea tela tuo.
Sed malè vertit ei ſcelus hoc, Iove vindice: ferro,
Incolumi nam te, iuſtius ipſe perit.
Vnde tuo (licet imprudens, nolenſq;) relinquit
Plus fiſco, fuerat quàm tibi pollicitus.

3

Credulus es nimiûm viſus, Rex optime, fratrum
Dum ſceleratorum te ſinis arte capi.
Nullius id fecit ſed mens ſibi conſcia noxæ,
Et meritis fratrem freta in vtrumq; tuis.
Nec reor id factum ſine Numine, quò breuis eſſet,
Quale malum fuerat, ſic metus ipſe mali.

Ex-

4

Exceptum hoſpitio patriæ patremq;,ſuumq;
Munificum dominum Gourius enſe petit.
Impietate Lares hac impiat, atq Penates,
Præſidem et hoſpitij prouocat ille Iouem.
Expiat inde Lares, Iouis et vindicta Penates,
Dum monſtrum hoc Orco victima ritè cadit.

5

Vincula carnificem referens dum proditor atrox
Intentat manibus, Rex venerande, tuis;
Magnanimum pectus tibi tum magis eſtuat, illud
Quàm mortem intentans dum pugione petit.
Nempe decus vitæ iuſto dum pondere præfers,
Tu toleranda minus vincula morte putas.

6

Non ſtupeat quiuis quem ſolum, tecto et inermem
Incluſum, armatos vincere poſſe duos?
Præſtitit hoc, Heros, pluſquam Mariana refulgens
In te Maieſtas, ore ſophia fluens;
Celſi animi virtus; auctæ in diſcrimine vires;
Et Superûm, qui te protegit vſque fauor.

7

Semotos comites a Principe Gourius optans,
Patraret melius, tectius vtq; ſcelus,
Aſſerit his Regem iam diſceſſiſſe: ſequuntur
Hi ſubitò, Regem quà præijſſe monet.
Pergentes quà ducit eos ex voce querentis
Principis agnoſcunt iam ſcelus ante latens.
Vnde ſui ſceleris, nolens licet, ipſe fit index:
Principis hoc vindex tu, Deus alme, facis

8

Ad Regem comites aditu perrumpere noto
Dum certant, clauſum hos et remoratur iter;
Poſtremi tantum penetrant ſibi limine ad illum
Quatuor ignoto, ſuppetiaſq; ferunt;
Debellantq; hoſtes, numero, armis, viribus, vſu,
Arte quibus nullo teſte fuere pares.
Illis ergo viæq; ducem, pugnæq;, ſalutis
Et Regi authorem quis neget eſſe Deum?

9

Qua luce impietas Ruthueni concita Diris,
Fretaque præſtigijs, inſidiata tibi eſt,
Hac illum Nemeſis iure vlta eſt, teq; periclis
Eripuit merito cura benigna Dei.
Namq; tua is voluit quem reddere cæde nefaſtum,
Numinis hunc feſtum reddis honore diem.

10

Propitium Martem ſibi credidit vſq; futurum
Ruthuenus, quoniam ſic cecinere Magi.
Vnde die ſæui ſignato nomine Martis
Auſus inauditum eſt impius ille nefas;
Fraudibus e medio ſacrum, et vi tollere Regem,
Secula cui meritis nulla tulere parem.
Carmina ſed magica eluſit, ſpemq; illius æquo
Qui Martem imperio, cæteraq; aſtra regit:
Hinc ſibi, non Regi, Martem portendere mortem
Tartara Ruthenus ſenſit ad ima ruens.

11

Regibus esse ratus Perthum fatale, sibiq;
Ruthuenus, genti propitiumq; suæ,
Struxit ibi insidias Regi, Dominoque scelestas
Præstigijs fretus, subsidijsq; loci.
Sed spes lusit eum, versumq; (vt debuit) omen;
Criminis vltorem sensit et esse Deum.
Namq; illum Perthi, Ruthuenorumq; superbam
Obruit, incolumi Rege, ruina domum.

12

Rex, tua cum virtus, oritura salusq; Britannis
Inde foret genijs inuidiosa malis;
Sæpe tuæ filum vitæ resecare nefandis
Artibus, ac Magiæ vi studuere suæ.
Mancipia ast illrs fuerant plerumq; ministri
Infima, quæ vili spe potuere capi.
Quorum vbi vidissent cæpta irrita, vilibus vti
Mancipijs aptum non satis esse rati,
Stirpe legunt, opibus, fama elatumq; ministrum,
Inflatum ingenij, corporis atq; bonis;
Virtutum specie, ficta ac pietate tegentem
Perfidiam, atq; animi crimina dira sui.
Talis Ruthuenus, diris agitantibus illum,
Te Patrem patriæ viq;, doloque petit.
Sed Deus, ecce, tui, patriæq; misertus ab alto
Æthere fit vindex, ceu fuit ante, tuus.
Vtq; malos genios in te quos ante ciebant
Exitium in proprium præcipitasse patet:
Ruthuenus, saluo sic te, cacodæmonis astu,
Vt reliqui, casu sed grauiore ruit,

13

Gourius et vulgo fuit, et ſe iudice, magnus:
Clarus erat peregrè; clarus et ille domi.
Fucata ſpecie virtutum pluribus annis
Aucupat hoc ſolers hinc ſibi, et inde decus.
Sed vera ac ſolida Regem virtute nitentem
Dum, quò ſit maior, viq;, doloq; petit:
Crimine tam fædo vel puncto temporis illi
Gloria, res, animus, vita, domuſq; perit.

14

Quos ſcenæ Tragicæ inſignes ſpectare cothurnos,
Audire et procerum triſtia fata iuuat,
Ruthuenum ſpectent, modò quem fortuna fouebat,
Tollebatq; ſuæ culmina ad alta rotæ,
Moxq; ſuum in Regem carum ſuperiſq;, boniſq;
Egit præcipitem Tartara ad ima ſcelus.
Sed quibus euentus Comici plauſuſq; Theatri,
Poſt dubios caſus, cernere mente placet,
Sint ſpectatores Regis, modò cuius honeſtum
Ruthueni inſidiæ, ac vis petiere caput;
Cælitus erepto ſed cui nunc inde Britanni
Applaudunt populi, cunctaq; fauſta vouent.

15

Si Deus, o Heros, tibi Pierideſq; fauentes
Te vatem a teneris excoluere ſuum;
Harum ſi numeris ſic ſacra oracula pandis
Illius, vt ſtupeant qui tua ſcripta legunt;
Siq;, velut reliquis ſublimi culmine præſtas,
Sic reliquos vatum laude in vtraq; præis:
Quid mirum hoc? vatem fore te portendit in aluo
Incluſum vates tum tua facta Parens.
Namq; a Ruthuenis iam tum te vim ſibi factam
vlturum verè vaticinata fuit.

16

Dum grauidæ matri intentarunt, et tibi nondum
Ruthueni nato viq;, doloq; necem;
Illa ſuoq;, tuoq; ſimul commota periclo
Vindictam vrgentes fudit ad aſtra preces.
Numine mox afflata mea iacet, inquit, in aluo,
Qui iuſtus tanti criminis vltor erit.
Ecquis non meritò credat tum vaticinatam;
Cvm faciat dictis exitus ipſe fidem?
Mortuus exul auus, cæſi pater, atq; Nepotes
Fatales pœnas namq; dedere tibi.
At (ne cui ſæuus, vel tu videaris iniquus)
Hi periere dolis, criminibuſq; ſuis.
Sic uoluere Dij, te labe carere, Parentis
Auguriumq; tuæ ſic tamen eſſe ratum.

Tet tua Ruthuenæ infando, Rex, crimine gentis
Ætate in triplici vita petita fuit.
Matris adhuc grauidæ cum gestareris in aluo,
Illam vi petijt, teque scelestus auus.
Mox adolescenti tibi truso natus in arcem
Exitij peperit, dedecorisq; metum.
Vicit aui, Patrisque scelus sed dira nepotum
Impietas ficta sub pietate latens:
Dum te ætate virum, meritis patriæq; Parentem
Fraudibus e medio tollere, vique parat.
Talibus ast ausis gens hæc scelerata quid egit,
Te nisi maiorem vt redderet ipsa ruens?

In Anagrammatiſmum nominis Sereniſſ. Regis huic argumento pulchrè conuenientem.

ANAGR. { CAROLVS IACOBVS STVARTVS
VICTOR SALVVS, CARVS STABO

II

EN SALVVS, CARVS iam ſtas, Rex inclyte, VICTOR,
Omen vt innuerat nominis ante tui.
Ante pedes ſtrato hoſte tuos, vbi perfidus ille
Te petit inſidijs, ſternere vique parat,
STAS VICTOR SALVVS, tanto ereptuſque periclo,
Vt ſtupeant, SALVVM qui modò ſtare vident.
CARVM te ſuperis tua fat teſtatur ab illis
Supra hominum naſcens ſpemque, fidemq; ſalus.
Et ſibi te CARVM populi teſtantur ouantes,
Gratantelque tibi pectore, et ore tui;
Quiq; tui iam ſpe, tales re moxq; futuri,
Plaudunt, ſteſq; diu tu ſibi SALVVS, auent.

AD EQVITES AVRATOS SERENISS. REGIS PROPVGNATORES.

Ad Illustrem Equitem, Thomam Areskinum.

19

O Equitum decus eximium, tua quanta periclo
In Domini virtus, enituitq; fides?
Dum properas vitæ illius fraude insidiantem
Vlciſci vitæ prodigus ipſe tuæ;
Insidiatorem ſocijs hinc, indeq; ſeptum
Intrepido aggreſſus pectore ſternis humi:
Mox auulſus eum, ſocioſq; a Rege repellis,
Dum, Rege incolumi, ſaucius ille cadit.
Clarius at niteat quò virtus tanta, fideſq;,
En, tua fida gerit dex tra vtriuſq notam.

Quod

AD CLAR. EQVITEM, HVGONEM HERRISIVM, SERENISS. REGIS MEDICVM.

20

QVod Phæbi excultus sis artibus, anxia curis
Pectora, quæ morbis corpora et ægra leuant,
Te Rex iure suis, vir clare, adscribit, alumnum
Phæbæum Phæbi cultor et ipse fouet.
Sed non hoc Regi solo es tu nomine carus:
Te quoq; pro meritis nunc amat ille nouis.
Marte salutarem nam te, velut arte, probauit,
Oppugnaret eum cum scelerata manus.
Macte igitur virtute, nouis noua præmia debet
Rex tibi pro meritis, munificusq; dabit.

AD NOBILEM EQVITEM IOHANNEM RAMISAEVM.

21

FLos iuuenum, mirè fauet, en, tibi Dux tua virtus;
Huic fortuna comes te fouet inq; sinu.
Alma tibi virtus dederat mentemque, fidemque;
Qua Domino tuleras promptus, et acer opem.
Primus ei vindex fieres, indexque latentis
Tu socijs aditus, sors tibi mira dedit.
Plus dederit virtus, an sors tibi, nescio; nulli
Largitam iuueni plus sed vtramq; scio.

OF THE DANGER, WHEREIN HIS MAIESTIE WAS LATELY AT SAINT IOHNSTON, AND OF HIS HAPPIE DELIVERIE.

A SONIT.

THe gifts to the imparted from aboue,
The peace and wealth thence flowing to this land,
O ſacred Prince, the to enuie did moue,
And to conſpire thy death the Stygian band.
A traitour meet they chuſd to take in hand
This vile attempt, one deckt with natures parts,
And vertues counterfet, which rightly ſcand
Were meere illuſions, and but Iuglers arts,
Mens eyes to ſyle, and to bewitch their hearts.
This traitrous Fugler layd a ſnare for thee:
But God, who all thy enemies ouerthwarts,
Himſelfe intrapt therein, and made the free.
For he, euen he it was that did the ſhield,
And win againſt the Stygian band the field.

TO THE MOST HONORABLE LORD
THE DVKE OF LENOX.

AS to thy ſoueraigne Prince, renowmed Lord,
I how art by band of blood, and nature neer;
So doth in ſundrie vertues yowr accord
Make the to him, him to the alſo deer.
This lately in his danger did appeer;
When thou with him in preſage, doubt, and care
Didſt ſympathize, eare treaſon waxed cleer.
Firſt thou him hardſt complaining in the ſnare,
Thy grief did then thy faithfull loue declare:
Thy running eke with ſpeed to make him free;
Wherein thow didſt no paines, nor perill ſpare,
Till him thou didſt in wiſhed ſaufety ſee.
Then did ye both at ioyfull meeting proue
A new inkindled flame of mutuall loue.

TO THE RIGHT HONORABLE
THE EARLE OF MAR.

TRue honours Patern, who had preſent been,
When as our King in danger was of late;
Towards him thy true and faithful loue had ſeen,
As well as Traitors trechery, and hate.
For when by fraude they did yow ſeparate,
And him aſſaild, then he with ruthfull ſound
Thy help imploring in that hard eſtate,
O how his voice thy heart did thrill and wound?
The paſſage to him clos'd thou hauing found
Didſt breake it vp, to come to his relief.
He being ſaufe, thy ioy did then abound
No leſſe, then did before thy bitter grief.
Such was thy loue, thy faith, thy grief, & mirth
In his ſuppoſed death, and ſecond birth.

TO THE NOBLE KNIGHT SIR THOMAS ARESKINE.

From Ancetours of high and noble ſtem,
O worthy knight, great praiſe to the doth flow.
Yet from thine owne deſert to the, and them
Farre greater honour and renowm doth grow.
For when as Traitours ſought to ouerthrow
Our ſacred King, and murther him with ſhame,
His voice his perill making the to know,
Thow didſt him reſcue, to thy endles fame,
And win a ſtowt and faithful Champions name.
To witneſſe which thy ſeruice, thow doſt beare
In thy right hand a token of the ſame, (weare:
More glorious farre, then ought that hand can
For that ſo oft as men the ſame ſhall view,
It will thy thy vertues praiſe, and fame renew.

TO SIR IOHN RAMSAY KNIGHT.

THy vertue, and good fortune haue conſpir'd,
O worthy youth, a doubt in men to breed,
Which of them twaine is moſt to be admir'd:
For when I marke thy valiancie indeed,
In wordes thy wiſdome, and in taking heed
To ſtoppe the traitours that purſued our King,
Thy faithfull loue whence did the reſt proceed,
Thence doth a heep of many wonders ſpring.
But ſeeing how thy fortune did the bring
Him firſt to aide, and ſlea his cheefeſt foes,
Thy fortune ſeemeth ſuch a wondrous thing,
As which exceeds I can not well diſcloſe.
But well I wote yet youth was neuer ſeene,
That hath more vertuous, and more happy been.

TO SIR HVGHE HERREIS KNIGHT,
AND PHISICIAN TO HIS
MAIESTIE.

THy learning, cheefly in the cheefe of Arts
Found out by Phœbus for the healthof man,
VVith wiſedome ioynd, & ſundry woorthy parts,
Renowm to the in forrein cuntries wan,
And moued thy Prince, who iudge vprightly can
Of mens deſerts, a choiſe to make of thee
(VVhen to perceaue thy merites he began)
A help by Phiſik for his health to bee.
Such haſt thou proued in more then that degree.
For thou didſt help from traitours rage & might
His life, and health to keep by manhood free,
Receauing glorious woundes euen in his ſight.
For which men ſhall the to thy endles fame,
His Æſculapius, and his Knight proclame.

AVX CHEVALIERS, QVI ONT aidè a ſauuer la vie a Sa Majeſtè.

SONET.

L'honneur d'un Cheualier ſage, vaillant, & preux
Giſt tout en ſeruant Dieu, ſon Prince, & ſa Patrie.
Qui ſert bien l'un des trois, ainſi que le conuie
Son ſerment & debuoir, ſe peut nommer heureux.
Quel donques eſt voſtre heur, Cheualiers valeureux,
Qui ſeruice a tous trois par vertu accomplie
Auez fait, en ſauuant a voſtre Roy la vie
Contre les fiers aſſauts des traiſtres furieux?
Dieu a eſtè ſerui par vn ſi grand ſervice
Fait a ſon lieu-tenant ſacrè, et bien aimè:
& voſtre païs, eſtant pour cheoir en precipice,
Auec luy garenti bien peut eſtre eſtimè.
Donc de voſtre vertu, loyautè, & vaillance
Receurez des tous trois la iuſte recompenſe.

FINIS.